



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Obediendum non timore, sed amore virtutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Amans
obedientiæ.*

quæ Dei gratia est, bestiam illam non pertimesco. Obedientiæ virtutem amabat vnicè, eoque nomine S. Ignatium magis etiam diligebat, quòd tam præstantem de eâ Epistolam conscripisset: censebatq; in rebus minimis studio maximo obediri debere, quòd intelligerent Superiores, quanto in pretio mandata sua haberentur; quoniam vbi res minimæ accuratè absoluteque seruentur, ibi res magnas haud dubiè maiori quoque curâ administrari. Aiebat, absolutam illam beati Aloysij in minimis etiam rebus obeundis obsequentiam, non timore aliquo culpæ aut poenæ natam, sed desiderio ipsius virtutis.

*Obediendū
non timore,
sed amore
virtutis.*

*Re ipsâ
ostendit,
quo modo
obediendū
esse existi-
maret.*

Loquebatur aliquando, factâ sibi potestate, cum externo intra Collegij limen, quando alius ad eum quoque alloquendum superuenit: huic apertè Ioannes necessarium esse respondit, prius à Rectore facultatem colloquendi petere; eaque impetratâ, se, vti fecit, ad colloquium esse reuersurum. Si quando tyrocini tempore ægrè se habere sensisset, tamen obediendi studio, ad consuetam surgendi horam, manè se lectulo eripiebat; mox, copiâ à Superiore factâ, si opus foret, in lectulum reuersurus. Interrogante quodam, quâ ratione silentij lex perfectè seruari posset; Ego, ait, hac ratione facio: Summisè saluto si quem per viam offendo: tum si quid

*Silentij lex
quomodo
ab eo ser-
uata.*